

re, ac cognoscere possimus; commodissime ergo illuminationis animorum de eiusmodi potest interpretari effectu, quo id obtinent, ut res quasdam antea vel ignotas, vel obscuras distincte possint cognoscere, et cum rerum cognitio pertineat ad intellectum, hanc quoque mentis illuminationem ad intellectum potissimum pertinere, facile perspicitur. Quod autem hunc φωτισμόν ex sententia Apostoli nostri commode de cognitione quadam intellectus interpretari possimus, ex inde probatur, quoniam ipse Paullus hanc mentis illuminationem adpellat φωτισμόν τῆς γνώσεως, *illuminationem cognitionis*. II. Cor. III. 6. conf. Eph. I. 17. 18. ubi ita Apostolus: δόνη ὑμῖν ὁ θεὸς πνεῦμα σοφίας καὶ ἀποκαλύψεως, ἐν ἐπιγνώσει αὐτῆ· πεφωτισμένους τὰς ὀφθαλμοὺς τῆς διανοίας ὑμῶν, εἰς τὸ εἰδέναι ὑμᾶς, τίς ἐστὶν ἡ ἐλπίς τῆς κλήσεως αὐτῆ, *det vobis deus spiritum sapientiae et reuelationis in agnitione ipsius: illuminatos oculos mentis vestrae, ad cognoscendum, quae sit spes illa vocationis ipsius.* Cum igitur haec huius illuminationis explicatio, quam iam suppeditavi, ad formalem vocabuli φωτίζειν notionem quam proxime accedat, et alibi Apostolus hoc vocabulum eadem ratione ipse exponat; patet, illud recte de cognitione intellectus hic a me fuisse expositum. Qualis autem, et cuiusnam rei cognitio hic indicetur, hac ratione ex sermonis paullini determinari potest nexu: de iis sermo est Apostolo, qui per Euangelii praeconium ad poenitentiam denuo renouari non possunt, (§. VIII.) ergo de iis, qui iam semel per eius adnunciationem ad poenitentiam fuerunt perducti, ergo de iis, qui iam olim evangelicam doctrinam distincte cognouerunt, ita, ut eius cognitio voluntatem ad adiensum potuerit mouere, ergo de eiusmodi

CO-